



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 108. Vani conatus de Lutheranis & Zwinglianis inter se uniendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI. Bibliorum, quæ ipsemet unacum Vatabli annotationibus prælo subjecerat,

§. CVIII.

Vani conatus de Lutheranis, & Zwinglianis inter se uniendis.

*Spond. hoc
ann. n. 22.
Rayn. n. 24.*

Cum Calvinistæ eodem hoc anno suam factionem numero magis conspicuam reddere gestirent, sese cum Germaniæ Lutheranis unire tentabant hocque consilium illi, qui Augustissimæ Domui Austriacæ infensi erant, promovere nitebantur: proin re inter eos decreta ad diem decimam Aprilis indictum est colloquium in pervetusto Monasterio Maulbrunensi, quod in ditione Wirtembergensi sex milliariibus Spira distabat: ad hunc ergo conventum seligebatur utrinque nonnisi unicus Princeps, & quidem Lutheranorum nomine Wittembergæ Dux, pro Zwinglianis vero, seu Calvinistis Fridericus Elector Palatinus, quorum quilibet etiam secum adducebat quinque Theologos, duos secretioris Senatus Consiliarios, & Notarios: porro Wirtembergici Ducis Theologi erant Joannes Brentius, Jacobus Andreanus, Theodoricus Senepus, Balthasar Bidenbrachius, & Valentinus Vannius, Consiliarii autem erant Joannes Fizlerus, & Hieronymus Gerardus, & Tabellarii mu-

munus obibat celebris Lucas O-Sæcul. XVI.
 fiander: Palatini vero Electoris Theo- A.C. 1562.
 logi erant Petrus Boquinus Bituricen-
 sis Provinciæ Gallus, Michael Tillerus,
 Zacharias Ursinus Silesita, Caspar O-
 lerianus Trevirensis, & Petrus Dathen:
 insuper ambo illius Consilarii erant
 Cancellarius Christophorus Ehem, &
 quidam Medicus, nomine Thomas Era-
 stus unacum Guilielmo Xilandro Græ-
 cæ linguæ Professore, qui Secretarii
 munere fungi jurebatur: interim ex
 præcipuis, qui in arenam descenderent,
 nominabatur Lutheranorum nomine
 Brentius, Zwinglianos vero tueri jube-
 batur Boquinus, ubi disputationis argu-
 mentum tangebat Eucharistiam.

§. CIX.

*Maulbrunense colloquium inter utram-
 que factionem.*

Præ ceteris Boquinus propugnabat, *Thu. l. 36.*
 quod Christus Dominus in Eucha-
 ristia præsens non sit, nec etiam ab im-
 piis, & infidelibus recipi queat, Cœna-
 que nonnisi existat memoria de morte
 Salvatoris, Christusque, cum nonnisi
 pro justis mortem obierit, duntaxat ab
 iis manducari valeat. Ad hæc ita re-
 ponebat Brentius: „Hæc opinio haud
 „tolerari potest, cum omnem fructum,
 „qui ex Eucharistia hauriri valet, adi-

Z 5

„mat,